

**Satyrae medicae, continuatio XVIII. Disputatione ordinaria disquirens de ovis paschalibus von Oster-Eyern ... / [Johann Richier].**

**Contributors**

Richier, Johann, active 1682-1683.  
Franck von Franckenau, Georg, 1643-1704.  
Universität Heidelberg.

**Publication/Creation**

Heidelbergae : Literis Samuelis Ammonii, [1682]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hsnrefz>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

SATYRAE  
MEDICAE,

CONTINUATIO XVIII.

DISPUTATIONE ORDINARIA DISQUIRENS  
DE

OVIS PA-  
SCHALIBVS

Don

Oster = Lhern /

QVAM

DEO IUVANTE  
IN CELEBERRIMA ELECTORALI  
HEIDELBERGENSI  
PRAESIDE

DN. GEORGIO FRANCO  
MED. AC PHIL. D. PP. VNIVERS. PRO-  
CANCELLARIO FAC. MED. DECAN. SERENISS. MAR-  
CHION. BADENS. ARCHIATR. ACAD. S. R. I. NAT.  
CVRIOS. ET ITALIC. RECUPERAT  
COLLEGA.

7ATROPHILIS EXHIBET

JOHANNES RICHIER

Mœno - Francofurtensis.

Ad d. Maij M DC LXXXII. horis locoque solitis.

HEIDELBERGÆ,

Literis SAMVELIS AMMONII, VNIVERS. Typograph.

V I R O  
PLVRIMVM REVERENDO, CLARISSIMO,  
ET DOCTISSIMO.

DN. JOH. RICHIER

ECCLESIAE REFORMATÆ

GALLICÆ FRANCOFVRTENSIS PASTORI

MERITISSIMO, VIGILANTISSIMO,

PARENTI OMNI PIETATIS

CVLTV SVSPICIENDO

Disputationem hanc

In debitæ gratitudinis, honoris  
& amoris testimonium inscri-  
bit ac consecrat.

JOH. RICHIER.



B. C. D.

§. I.



Arii variis in Germaniæ nostræ locis errores hodie-  
num foventur, qui tamen antiquitate se tueri volunt.  
Huc forte non male retulerim OVA PASCHALIA,  
di Oster= Eier, quando sc. ipsis Paschatis feriis tam  
ruri, quam in urbe ova ad duritiem cocta, non so-  
lum nude ita exhibentur; Sed variis quoque colori-  
bus insigniuntur, præcipue violaceo, rubro, luteo, viridi, versicolori,  
appictis variis figuris, lemmatibus &c. Inde & in Saxonia di  
schönen Eier / roten oder gelben Eier appellantur. Huc forte res-  
pexit Erycius PVTEAN. in ovi Encom. f. m. 423. a. inq̄uens: Ovum  
est candidum: & omnes tamen colores admittit: Scribi potest, pingi potest,  
tingi potest; & nunc flavum, nunc rubrum, nunc cæruleum patrii vi-  
tus faciant.

§. 2. Talia non solum susceptores e baptismo susceptis suis mira,  
uti sibi persuadent, benevolentia donant atque offerunt: Sed & Ami-  
ci sibi invicem, amasiis amantes &c. De Russorum Paschatis festo  
ita OLEARIVS Persischen Reisebeschreibung f. 134. & 290. (ap.  
DIETHERR. in orbe novolit. f. 463.) Wann si auff der Gassen ein-  
ander begegnen / grüßen si sich mitt einem Kusse auff den Mund /  
und sagen: Christus ist auferstanden: darauff antwortet der andre:  
Er ist warhaftig auferstanden. Es wird auch niemand einem an-  
dern solchen Kuß und Gruß neben einem gefärbten Ei weigern.

§. 3. Cum autem aliquibus in locis generali quidem nomine  
di Oster= Eier susceptis offerantur commutata in alia & sæpe pretio-  
sa donaria vestes puta; aurum, argentum &c. ideo Magistratus non  
male illum malum compescuit morem sub multa, de quavideantur

Dnn. ICTi, & præcipue de publico bono Reip. Civilis & literariæ præclare meritis Nobil. Dn. *Ahasv. FRITSCHIVS* in *subplem. Speidelio-Besold. f. m. 90. a.* his verbis: *Oster-Ei holen.* In quibusdam locis, ut in Thuringiæ & Misniæ partibus usu receptum, das di Kinder uff Ostern bei Jren Tauffpaten/ das Oster-Ei / sive ut vocant, das schöne Ei holen. Alibi vero ist so wol das Neue Jar gäben/ als das Oster-Ei holen / sive den Grünen Donnerstag austheilen bey straffe verboten. Vid. *Ordin. Polit. Elector. Saxon. de Anno 1612. circa finem.* Qua sub multa X. thalerorum hoc prohibeum est, licet ob suetam officialium negligentiam male servetur. Ex eodem quoque allegat Doctiss. *ICtus Christ. Lud. DIETHERR.* in *Orbe novo literat. S. Continuat. Besold f. m. 463.*

§. 4. Originem horum ovorum plerique Viri docti fatentur se ignorare. Conjecturæ tamen afferuntur. A Judæis aliqui repetunt: Hi enim in paschatis sui festo inter alias vanissimas ceremonias habent quoque ovum ad duritiem coctum symboli loco. Ita enim scribit *Anton: MARGARITHA* in *lib. der ganze Jüdische Glaube &c. lit. D. August. Vind. 1530:* Si nâmen ein hart Ei / das solle auff di Obfer der feste deuten. Allegante Nobil. D. *DIETHERRO. l. 1.*

§. 5. Aliqui Ethnicismum sapere volunt *DANNHAUER* im Evangelischen Denkmal: *Orat. in festo paschatos p. m. 352.* his verbis Es haben vorzeiten di blinden Heiden um dise Jars-Zeit herum ire Ludos Circenses Eier-Fest und Eier-Spil gehalten / da si den beiden Eiergötzen (Castor und Pollux ovo prognati ab uno a Jove-Cygro in nido Ledæo) zu ehren in circo ovali, inn einem Eier-runden Platz um di Eier inn di Wette geloffen. (von welcher Oster Fasnacht noch auch unter uns Christen / deren Rum nicht fein ist / ein Sauer-teig überbliben / das man auch auff den Ostermontag um di Eier lauffet) das Pappstum hatt auch seinen Chrisam daran gesmiret / und geordnet / das / nach dem man bisher 40. Tage lang sich des Fleisches und Eier enthalten müssen / und nunmehr auff den Ostertag der Paß / Fleisch und Eier zu äßen / geöffnet / das man die Eier in di Kyrch tragen / und mitt Aberglaubischen Cerimonien weihen solte / sint lauter lappalia &c.

§. 6. A Jejunio Quadragesimali ortum conjicit quoque Maxime Reverendus atque Excellentissimus D. D. *Joh. Lud. FABRITIUS* Theologus incomparabilis, Fautor & Collega noster honoratissimus

in doctissimis suis ad me literis 2. Maj. 1682. Quamvis enim (ait) hodie propter generalem dispensationem concessum sit illo tempore ovis vesci, olim tamen severe prohibebatur. Synodus enim CPna in *Trullo* habita *Can. LVI.* tam Laicis, quam Clericis serio injungit, ut abstineant per Quadragesimam non solum carne, sed & lacte atque ovis. Et d. 4. c. 6. repetitur Gregorii I. Capitulum ad Augustinum Anglorum Episcopum, cujus tenor hic est: *Par esse, ut quibus diebus a Carne animalium abstinemus, ab omnibus, quoque qua sementinam carnis originem, jejnemus, lacte videlicet, caseo & ovis.* Cum autem finita hyeme sub veris auspiciis gallinæ iterum incipiant parere ova quam plurima; quibus tamen usque ad paschatos frui non licebat; magna eorum copia fuit asservata; quæ dein eo avidius & largius consumebantur. Aut forte illa ova ad duritiem cocta asservabantur donec ipsis feriis illis integrum erat salva Conscientia, utut non salvo stomacho; quæ dein quoque sacerdotibus aliisque poterant donari.

§. 7. Nec adeo abludit Rodolph. *HOSPINIANS* de *Origine Festorum Christianorum* f. m. 65. ita scribens *Feria illa, quæ proxime sequitur Dominica Resurrectionis diem, Germanice der Ostermontag* multis in regionibus convivium agitantur, quæ fere *OVIS & mellitis* quibusdam libis coctis atque placentis constant. Et pluribus, in locis, cum scholastici hymnum illum canunt: *Christe qui lux &c.* Tum cetera quoque turba puerorum & puellarum ostiatim *OVA* colligunt, ab iis maxime, qui eos e sacro fonte levarunt, & illa tum simul comedunt, quod vulgo *Osterlen* vocant. Ipsa vero *OVA* sic collecta, tantum non emendicata *Zimpfelftag* vocant quasi *Simbelftag* propterea quod illis ovis cen symbolis collatis atque collectis una epulari consueverunt.

§. 8. Possit forte & huic conjecturæ locus esse, videlicet, ova offerri, tanquam emblemata Resurrectionis. Item quia ex ovo omnia surgunt. Uter verbis *MACROBII* l. VII. *Saturnal. c. 16.* dicentis: *Nec importune Elementis, de quibus sunt omnia, ovum comparaverim.* In omni enim genere animantium, quæ ex coitione nascuntur, invenies ovum aliquorum esse principium instar elementi. Aut enim gradiuntur animantia, aut serpunt, aut nando volandove vivunt. In gradientibus lacerta & similia ex ovis creantur. Quæ serpunt ovi nascuntur exordio. Volantia universa de ovis prodeunt &c. Videantur e Recentioribus, *HARVEJVS, HORNIVS, GRAF, SWAMMERDAM, KERCKRINGIVS, BARTHOLINVS, GARMANNVS* aliique (de Ovario mulierum egimus *sat. Med. Con-*

tin. IV. §. 2. Anno 1674. ) qui & ipsum hominem , & omnia animalia (immo addo ego : Omnia corpora viva ) ex ovo generari recte statuunt. Et quomodo æternitatem ex ovo discere possimus e P V-TEANO allegat Cl. M. D. OMEIIVS in *prolus: Acad. IV. p. m. 115.*

§. 9. In Germania Superiore , Palatinatu nostrate , Alsatia & vicinis locis, ut & in Westphalia vocantur hæc ova di Hasen= Eier a fabula , qua simplicioribus & infantibus imponunt Leporem ( *Der Oster=Hase* ) ejusmodi ova excludere , & in hortis in gramine, fructicetis &c. abscondere ut studiosius a pueris investigentur , cum risu & jucunditate seniorum. Et revera sæpe leporum , h. c. Imprudentium nomine possunt venire, qui ejusmodi ovis expositiis non solummodo jocos quærunt : Siquidem sæpe cum illis ovis pueri valetudinis suæ magnam inveniunt jacturam ; quando dein , semoto arbitro , ista justo avidius per ingluviem ingurgitant, sine sale , butiro , aut alio condimento ; adeoque dolorem voluptate sibi coëmunt, ceu jam ab aliquot annis, multis sum edoctus experimentis. Hac igitur vice conabor quædam de intempestivi istorum esus noxa edisserere ; ut ut rarissimos habeam, quos hoc in passu præeuntes sequi possim.

§. 10. Monachus quidam Franciscanus , cum in festo Paschatos collecta ova a se ad duritiem cocta , ad saturitatem edisset , adstricto ventre, qui neque Clysteribus, neque medicamentis cederet, obiit ; ceu scribit BRASAVOLVS allegantibus MOEBIO *Inst. Med. l. IV. p. 2. c. 5. p. m. 496. seq.* & JONSTON. *in hygien p. m. 160. seq.* Causæ hujus mali inferius allegabuntur.

§. 11. Ante hos XV. annos vidi Argentorati puellam VI. ann. e nimio durorum horum ovorum esu primo in contumacem alvi obstructionem incidisse : inde tormina, urinæ subpressio, ræctus nidorosi, præcordiorum anxietas, dyspnœa, calor & sitis vehemens ; adeo, ut anxii parentes ab convulsionibus & filia interitu sibi timerent, medicumque sub noctis meridiem evocarent. Nec causa tam repentini mali poterat tam promte inveniri, nisi a vicina succurrente ingluvies illa fuerit detecta. Clystere itaque emolliente adhibito, mirus imber, bombis & stercoreibus permistus depluebat, sensim sensimque remittentibus Symptomatis reconvalecebat.

§ 12. A. C. cl. lxx. Ricovillæ A. K. filius decennis plurima ejusmodi infarsit ova, unde diarrhœa cum tenesimo & sanguinis mucique excretionem instar alicujus dysenteria; appetitus erat prostratus, sitis immodica ; Igitur per analogissimum ea, qua dysenteria, metho-

do malum curabatur. Hoc quidem non est novum ovo forbili al-  
vum solvi, cum solemniter hoc fiat, & exemplum Illustris mulieris al-  
legat *Marc. DONAT. l. de Mechoac*: Joannisque Monardi exem-  
plū (Hic sumto ovo forbili quinquies sexiesve excrevit) legitur ap. *BRAS-  
SAVOL. l. de medic. purg. citante SCHENKIO*. Sed ova dura hoc heic  
effecisse mirum videatur. Hinc *Alex. BENED. l. xix c. 33. de Cur. morb. ap. J.  
SCHENK. l. 3. obss. f. m. 401.* vidit feminam ovo indurato commanducato  
decies alvum citatam exonerasse, quod aliis ventrem adstringit. Addit-  
que: *Vnde hac antipathia?* Verum in puero nostro vitiosis humoribus  
sat pleno, quod e scabie capitis, totiusque patebat; idque verno  
tempore; ubi humores solent turgere; facile potuit fieri ejusmodi  
humorum perturbatio & lucta, præcipue quando aquam superbibit.

§. 13. Memini quam plurima alia, quæ copiose olim & nupè-  
ris quoque feriis suggesta fuere: Sed cum similia in promptu fere omnibus  
sint, illis allegandis supersedebo; inque medium saltem producam ve-  
ritatis testes; qui jam olim usque huc non solum damnarunt ova fri-  
xa, & assa (suffocata; laudantur ab his culpantur ab illis) sed & ad-  
duritiem cocta: adeo ut nihil boni præstent, præter tremula atque forbilia.

§. 14. OVA FRIXA in sartagine (C. *HOFMANN Inst. med. V. 21. 4.* Eier in smaltz eingesäht vocat) parantur vel integra  
gebakene Eier / sive cum farina, cepis, petroselino &c. Eierkuchen/  
de quibus ita *MOEBIVS Inst. l. 4. p. 2. c. 5. p. m. 497.*: Ova cum flo-  
re siliginis mixta, & in placentam, quam vulgus Eierkuchen vocat, re-  
ducta sunt insaluberrima, & in obstructionibus excitandis efficacissima. In  
Misnia vocantur Schaffkuchen. Vel frixa cum butiro in sartagine fi-  
ant in pultis formam redacta gerürte Eier / aliis zerfarene Eier; Agi-  
tata eingerürte dicuntur C. *HOFMANNO l. 4.* Græcis audiunt τα-  
γηνισα ή τηγανισα; scil. quæ εν ταγηνω ή τηγανω in sartagine frixa, uti inquit *M.  
SEBIZ. de. Alim. l. 3. c. 12. p. m. 941. Conf. de hac Voce Henr. STEPHANI.  
Thes. Græc. Lingu. tom. 3. f. m. 1460 seq. Joh. SCAPVL. Lex. Græc. f. 1616. &  
ante hos Varinus PHAVORINVS in Lexic. f. m. 1727. (Edit. Basil. 1538.  
in Fol.) Eadem leguntur in ETYMOL. Magn. f. m. 743. Jul. POLLUX  
Onomast l. X. c. 24. f. m. 480. & præcipue l. VI. c. 13. f. m. 291.*

§. 15. FRIXA ista quantum noceant patet ex illis, quæ habet  
*Symeon SETHI de Alim. lit. Ω. I. p. m. 151.* τα δὲ τηγανισα (inquit)  
χειρίσιν ἔχει τὴν τροφήν, καὶ ἐν τῷ πρώτῳ κινισσεται, καὶ χυμὸν ἀπογεννά  
παχύ



παχύν, ἢ περιττωματικόντε, ἢ μοχθηρόν. i. e. vertente Mart. BOGDANO: *Qua porro in sartagine friguntur, pessimi sunt alimentis. Nam dum concoquuntur, nidorem acquirunt, crassumque succum, excrementitium & pravam inducunt.* Idem jam ante dixerat GALEN. l. w. ἐνχυμίας ἢ κακοχυμίας c. 4. f. m. 354. de ovis, hisce: Ταμὲν γὰρ ταγηνιζόμενα, ἢ κακόχυμα γίνεται ἢ τὴν ἐν τῇ γαστρὶ πέψιν ἔχει κλισσώδη, συνδιαφθείρουσαν ἑαυτὴν ἢ ἄλλα σιτία h. e. vertente Andr. LACVNA f. m. 406. *Frixa vero mali succi, fumoseque in ventriculo coctura existunt, secum etiam corrumpentes admistos cibos.* His ratione & experientia confirmati adstipulantur; & pro omnium pessimis habent AETIVS tetr. 1. serm. 2. c. 134. f. m. 87. Paul, AEGINETA l. 1. c. 83. ORIBAS. l. 2. collect. med. c. 45. f. m. 223. it. synopsis. l. 4. c. 14. f. m. 64. & iterum GALEN. l. 3. de Alim. Fac. c. 22. ex ISAAC fuse comprobat Anton. GAZIVS in Florida Corona c. CXIV. f. m. 64. a. Nic. MASSA Epist. 3. c. 6. p. m. 32. a. SAVANOROL. Pract. Major. tr. 2. c. 2. f. m. 21. rubr. 5. PISANELLVS de Alim. Fac. p. m. 173. SENNERT. Inst. med. l. 3. p. 1. c. 3 p. m. 777. BEVEROVIC. Thes. sanit. p. 1. c. 15 f. m. 150 Joh. Bapt SYLVATICVS Controv. XI. f. m. 56. CAPIVACC. Pract. l. 6. c. 28. f. m. 892. PLEMPIVS de Valet. Tog. tuend. c. 4. p. m. 193. M. SEBIZ. l. a. p. m. 946. SWALVE de Ventric. Querel. & Obprobr. p. m. 146. BRVYERIN. l. XV. c. 83. p. m. 639. JONSTON. Hygien. p. m. 160. Lud. NONNIVS de re cibar. l. 2. c. 38. p. m. 281. Quibus accedit MOEBIVS Inst. Med. l. a. p. m. 497. ita totam rem in compendio repetens: *Omniū pessimā sunt τηγανισαῖ id est in sartagine cum oleo vel butiro inspissata, oleum enim & operam in hac ovorum preparatione perditur, cum exinde egregia virtute nutriendi exuantur, egerrime coquantur, facillime in nidorem convertantur, ardorem stomachi, & anorexiam excitantur.*

§. 16. SVFFOCATA OVA Græcis πνικτὰ, HERMOLAO ἑξαφητὰ, teste JONSTON. (forte ἑξαφθὰ) Germ. erstöckte Eier / Cass. HOFMANN. verlorne Eier appellat Inst. Med. V. 21. 4. Horum modum parandi ex GALEN. Ill. de Alim. Fac. 22. ORIBAS. l. 2. coll. med. c. 45. & AETIO. tetr. 1. serm. 2. c. 134. docet M. SEBIZ. d. Alim. l. 3. c. 12. p. m. 941. Habet quoque AEGINET. l. 1. c. 83. it. BRVYERIN. l. a. Theod. ANGELVTIVS Art. med. l. 2. c. 4. p. m. 101. a. Quomodo vero nostris temporibus parentur, habent BRVYERIN. l. d. Lud. NONNIVS de re cibar. l. 2. c. 38. p. m. 280. SENNERT, Inst. l. d. PLEM-

219

PLEMPIVS l. 4. p. 193. JONSTON. *Idea Hygien* p. m. 159. ait. *Hodie rupto putamine liquefacto butyro injiciuntur, & igne molli cooperculo superimposito coquuntur. Sic vitellis medium obtingit, albumine peripheria cingitur. Credo inde ab aliquali similitudine heic vocari Oshsen-Plugen. Alias Eier in Butter gesslagen. Immo communiter eine Pfanne oder Schüssel mitt Eiern. Hucque apte referuntur, quæ in acetum & butirum calefactum effracto putamine ita projiciuntur, sale, zinzibere condiuntur, in Saxonia, saure Eier; quæ postero die mane ad corrigendam pridianam crapulam, appetitumque restaurandum comedere solent. Immo hæc renum & vesicæ ulcera mirifice tollere, quibusdam traditum, ceu refert JONSTON. *Idea Hygien* p. m. 159. In genere tamen suffocata laudantur ab ÆGINETA l. 1. c. 83. Symeon SETHI d. *Alim.* p. m. 151. Theod. ANGELVTIO. *Art. med.* l. 2. c. 4. p. m. 101. a. BEVEROVIC. *thes. sanit.* p. 1. c. 15. f. m. 149. seq. CAPIVACC. *Pract.* l. 6. c. 18. f. m. 892. JOVBERT. *med. pract.* l. 1. c. 2. f. m. 344. PLEMP. *de Valet. tog.* T. c. 10. p. m. 193. Videntur tamen ad nobilitatem sorbilibum ac tremulorum minus accedere, præterea robustum ventriculum requirunt.*

§. 17. ASSA OVA sub cineribus, GALENO ὀπτά; male audiunt ap. Medicos & ad duritiem coctis pejora æstimantur. Testem adduco GALEN l. 3. π. τροφῶν δυνάμεως c. 22. f. m. 343. dicentem: τὰ δ' ἐφθὰ ἢ ὀπτά ἢ δύσπεπτα, ἢ βραδύπορα, ἢ τροφὴν παλῆαν ἀναδίδωσι τῷ σώματι. Τὰτα δ' ἐτι μᾶλλον ἐστὶ βραδύπορωτέρα τε ἢ κακοχυμώτερα, τὰ κατὰ θερμὴν σποδιὰν ὀπτηθέντα. Consentiant ÆTIUS *tetr.* I. *serm.* 2. c. 134. f. m. 87. & Symeon. SETHI. l. a. p. m. 151. hisce: Τὰτων (sc. ἐφθῶν) δὲ ἐτι μᾶλλον κακία τὰ ἐν θερμῇ σποδιᾷ ὑπεροπτηθέντα id est vertente M. Bogdano: *His tamen (coctis sc.) adhuc pejora sunt sub cineribus calidis assata. Adde M. SEBIZ de Alim.* l. 3. c. 12 p. m. 946. SENNERT. *Inst. med.* l. 3. p. 1. c. 3. p. m. 777. Joh. GVINTHER. *in Vet. & Nova Med. comm.* 2. dial. 1. f. m. 8 Joh. Mich. SAVANOROLA *Pract. maj. tr.* 2. c. 1. f. m. 21. rubr. 5. BEVEROVIC. l. a. JONSTON. *Hygien* p. m. 160. Ratio est, quia assum ovum fumosi quid assumit, ceu scribit *Abuali* IBN - TSINA *Can. med.* l. 2. tr. 2. c. 2. f. m. 76. a. & b. scil. exhalat tenuior & spirituosam partem ovi, nativamque humiditatem amittit, dumque vim ignis patitur majorem, facile empyreuma afflatione acquirit, ceu ex ISAAC docet *Ant. GA-*

B ZI

ZIVS in florid. Coron. c. cxlv. f. m. 63. b. & Lud. NONN. de re cibarij  
l. 2. c. 38. p. m. 280.

§ 18. Jam consideranda veniunt ipsa OVA PASCHALIA; hoc enim nomine appellantur Italis ova dura quod scilicet die Paschatos sacerdoti benedicenda offerantur, ceu scribit JONSTON *Idea Hygien.* p. m. 158. Germanis harte / oder hart-gesottene Eier; Gallis œufs durs, recte QUERCET *Diat.* p. m. 400. Græcis ἐφθα, vid. Symeon SETHI *d. Alim. lit.* p. m. 151. GALENO ἐφθέντα dici scribit JONSTON. l. a. quod tamen nullibi invenire potui, nisi sit sphalma typographicum. His obponuntur ὠὰ ὠμὰ, ova cruda: ceu ex ATHENÆI l. 4. adducit Henr. STEPHANVS *Thes. Græc. tom. iv.* f. m. 785.

§ 19. Ova hæc videntur laudari a DIOSCORID. l. 2. c. 54. hisce: ὄν τὸ ἀπαλὸν τροφιμώτερον τῷ ροφητῷ; ἢ τῷ ἀπαλῷ τὸ σκληρόν. .I. Ovum molliculum plus alit, quam sorbile itemque durum plus quam molle: ita allegante Joh. RHODIO *vott. ad Scribon. Larg.* p. m. 173. Verum in Edit: Lat. interprete Joh. RVELLIO, Lugd. ap. Theobald. Paganum 1547. in 12. invenitur l. 2. c. 42. p. m. 122. Atque in Edit. Græc. Lat. Marcell. Vergilii, Colon: ap. Jo. Soterem 1529. in Fol. in Græco est κεφ: σμβ: in Latino c. 44. f. m. 194. Confer ad h. l. Marcell. VERGIL. f. m. 195. & Hermol. BARBAR. *Coroll. ad Diosc.* l. 1. n. 254. f. m. 27. a. Sic Abvati IBN-TSINA *Can. med.* l. 2. tr. 2. c. 2. f. m. 76. a. statuit ovum ad duritiem coctum copiosum præstare alimentum. Hucque forte respexit Corn. Celsus l. 2. de re med. c. 18. inquit: Ovum durum valentissima materia est, molle vel sorbile imbecillissima. Et mollibus plus nutrire scribit Jonston. *Hygien.* p. m. 160. his quoque plerosque delectari scribit, BRUYERIN. *de. re cibarij.* l. xvi. c. 83.

§ 20. Quidquid sit, undiquaque male audiunt ista ova. GALEN. l. π. ἐυχυμίας ἢ κακοχυμίας f. m. 354. (Edit. Græc. Basil. in Fol. 1538.) ait. Παχυχυμοὶ δὲ εἰσὶ ἢ οἱ κοχλίας, ἢ τῶν ὠῶν ὅσα μέχρι τελείας πήξεως ἐφθῶσι τε ἢ ὀπτῶσι. h. e. Interp. A. LACVNA f. m. 406. Cochlea crassi succi censentur: itemque ova, qua vel elixa vel tosta penitus sint densata. Adde EVND. l. 3. de Alim. Fac. c. 22. Nim. difficulter concoquantur, tarde transeunt, corpusque alimento crasso nutriunt, ceu ORIBAS. l. 2. *collect. med.* c. 45. ait, ita vertente Joh. Bapt. RASARIO. ORIBAS iterum l. 1. *Euporist.* c. 19. f. m. 584. Stomachumque gravant; ceu eorum noxas testatur detestaturque Paulus

ÆGINET

ÆGINET. l. 1. d. *Art. med* c. 83. f. m. 45, interprete Albano TORINO (Basil. 1532. in Fol.) ita inquit: Reliqua (excipit saltim tremen-  
tia & forbilia) ad unum omnia concoctioni obstinate repugnant, &  
lentius per meatus excernuntur, crassique omnino succi sunt. Ad-  
dantur Symeon SETH de *Alim. lit.* Ω. p. m. 151. ÆTIUS. tetr. 1. serm.  
2. c. 134. f. m. 87. RASIS l. 3. ad *Almansor.* ap. Michael. SCOTVM  
in *Mensa philos.* l. 1. c. 24. p. m. 31. Abuali IBN-TSINA *Can. med.*  
l. 2. tr. 2. c. 2. f. m. 76. a. Joh. GVINTHER. d. *med. vet. & nov.*  
comm. 2, *Dial.* 1. f. m. 8. SAVANOROL. l. a. f. m. 21. a. Victor. TRIN-  
CAVELL. l. 1. conf. 41. f. m. 115. M. SEBITZ. l. a. p. m. 945. Sam. SCHOEN-  
BORNI. *Med. Pract.* p. m. 140. BRVYERIN. l. 15. c. 83. p. m. 638. QVER-  
CET. *Diet. Polyhist.* sect. 3. c. 6. p. m. 401. JONSTON. *Hygien.* p. m. 158. &  
160. Bernh. SWALVE *Ventric. Querel.* p. m. 146. Lud. NONN. l. 2. de *re*  
*cibar.* c. 38. p. m. 280. Ant. GAZIVS *Coron. flor.* c. cxiv. f. m. 64. a. Theod. AN-  
GELVIVS de *Arte Med* l. 2. c. 4. p. m. 101. (Edit. Venet. 1588. in  
4.) Nic. MASSA *Epist. med.* 3. c. 6. p. m. 32. a. SENNERT. *Inst.* l.  
3. p. 1. c. 3. 1. m. 777.

§. 21. Inprimis quibus ventriculus aut hepar refertum est vitio-  
sis humoribus, his minus conveniunt testibus SENNERT. l. a. & P.  
ZACCHIA *quest. med. leg.* Tom. 3. *Conf.* xi. f. m. 16. a. MOEBIO.  
*Inst.* l. 4. p. 2. c. 5. p. 496. ex GALEN. l. 1. de *rat.*, *vict.* 10. ubi ad-  
dit, in febb cum intermittentibus, tum continuis, ut & in affectu  
hypocondriaco, scorbuto ictero & debilitate ventriculi non satis con-  
venire. Eadem pituitam tenuiorem facere crassiorem scribit A. C.  
CELSVS l. 4. c. 2. hinc sibi qui crasso molestantur phlegmate, it. dy-  
spnoici ab iis caveant. Eadem in Epilepsia fugienda jubet GALEN.  
de *puero Epit.* ap. MOEBIVM. In Jecoris inflammatione prohibet  
TRALLIAN. l. viii. c. 1. p. m. 390. (Edit. Basil. 1556. in 8.) scri-  
bens: τὰ δὲ ὡὰ παρατεῖσθαι δεῖ, διὰ τὸ παχύχυμον αὐτῶν καὶ φουσῶδες ἴ. e.  
vertente Joh. Guintherio: Ova a. prohibenda eo, quod crassissimi succi,  
& flatuosi. Nec mirum est, inquit L. NONNIVS l. 2. d. *re cibar.* c.  
38. p. m. 281. TRALLIANVM in hepatis inflammatione damnare o-  
va, quia nimio ejus visceris incendio, facillime corrumpuntur, & quia  
natura sua tenacitatem quandam habent in crassiorem substantiam con-  
verti possunt. Verum hunc locum intelligi debere de frixis aut assatis,  
MERCVRIAL. *Pract.* l. 3. 19 p. m. 426. quia alias contextus esset  
falsus: Quod tamen ego non video. καὶ φουσῶδες τι ἡ. e. inflans seu

flatulentum habere ovum jam olim scripsit HIPPOCR. l. 2. π. διαίτης f. m. 25.

§ 22. Immo dura ova calculum generare scribunt PISANELL. de Alim. Fac. p. m. 173. Vict. Trincavell. l. 3. conf. 58. f. m. 491. Et Ant. GAZIVS. l. a. f. m. 63. b. (Edit. Lugd. 1514. in 4.) ait. Nodatum autem & durum, & lapidosum & patellatum malum est, & difficilis digestionis, humorem generat grossum, facitq; obpilationem & lapidem in renibus & putrefactionem in stomacho & colicam movet passionem. Calculosis igitur denegant Gr. HORST. d. V. S. T. p. m. 65. & Inst. Med. disp. 20. coron. 2. §. 13. SENNERT. Inst. p. m. 777. Hinc forte Horat. AVGEN. Epist. med. Tom 3. l. 7. c. 9. f. m. 274. ait. Fit ovum coctum cum tremulum sit; secundo cum sordibile: qui duo gradus seu termini coctionis in ovo apparent facti per incrassationem humidi tenuioris aquei. Si vero postea nimis procedat elixatio a calore aqua effervescentis emanans dissolutis omnibus tenuioribus partibus & aëreis & igneis, totum fit terreum & durum, ac fere ut lapis quidam siccum. In quo statu non appellarem coctum, sed durum, terreum seu precoctum.

§. 23. Verum non tantum subesse periculum scribit SW ALVE: de Ventric querel. & Obprobr. p. m. 146. dicens sub persona ventriculi: Nec ex albo ovi licet duro protinus callosam gigno materiam: Frivolus ille ac popularis error est. Quod antea quoque statuerat QVERCET. Diet. polyhist. s. 3. c. 6. p. m. 401. ita dicens: Popularis quidam error est, albumen ovi sive indurati, sive in tremulum elixi, insalubre esse & noxium: calculoque generando occasionem præbere: quasi statim concreseat & in lapidem convertatur: quæ causa, cur multi ab ejus usu abstineant. Sed stultum est, inde lapidum generationem adstruere velle: sic enim eodem jure, vel potiori etiam, idem affirmari posset de crystallo, vitro. corticibus ovorum, lapide judaico, lyncis, pumicis, spongiarum, oculis caucris corporibus multo durioribus, & concretioni magis aptis: quæ tamen omnia adversus calculum summasunt remedia. Sic judicandum quoque de duris mespilorum ossibus, de milio solis, aliisque id genus, quæ vel ipsos lapides potius referunt, quam semina: & interim maximam calculi adterendi vim possident. Immo quis non videt contrariam plane albuminis operationem, in saccharo & variis salibus dissolvendis, & ad solutionem promovendis. &c.

§. 24. Scio equidem ALBUMEN præcipue male audire ap. auctores:

auctores: difficile enim concoctu & crassi glutinosique sanguinis parentem esse, ceu ex GALEN. I. ad Glanc. 9. habet Joh. Bapt. SYLVATIC. Contro. XI. f. m. 56. Ant. GAZIVS coron. florid. c. c. CXII. f. m. 62. b ISAAC & GALENO, JONSTON. Idea Hygien p. m. 157. MOEBIVS Inst. med. l. 4. p. 2. c. 5. p. m. 496. SENNERT. Inst. med. l. 3. p. 1. c. 3. p. 775. PISANELL. de Alim. Fac. p. m. 173. Credo ego tamen durum albumen præstare luteo duro, hoc enim facile inflammatur & in fumosabit, dicente JONSTON. l. a. p. 156. probantque ructus sulfurei, nidorosi &c.

§. 25. Nimium horum ad duritiem coctorum ovorum esum facere podagricos contestantur Greg. HORST. d. V. S. T. l. a. p. m. 65. & Inst. med. l. d. SENNERT. l. a. p. m. 777. aliique. Item nervorum atque Capitis affectibus obnoxios; ID. Ib. it. Apoplexiæ atque paralyfi, SENNERT. l. c. Lentiginosam reddere faciem, scribit PISANELL. de Alim. p. m. 172. Alvi facere constipationem superius in Historiis allegatis vidimus, & comprobat Ant. GAZIVS c. 114. f. 63. b præcipue vitellus aslus Abvati IBN-TSINA l. a. c. f. 76. a. adde MOEB. Inst. l. a. p. m. 496. JONSTON, Hygien p. m. 160. Maxime autem Colicam, ceu observatore Thoma VEIGA refert C. HOFMAN. Inst. med. V. 21. 3. adde GAZIVM l. d. CAPIVACC. Pract. l. VI. c. 20 f. m. 892. BEVEROVIC. thes sanit. p. 1. c. 15. f. m. 150. J. B. SYLVATIC. contro. XI. f. m. 56. Sic illos, qui in Dysenteria ova durata & in aceto cocta præcipiunt, increpat MERCVRIAL. Pract. l. 3. c. 28 p. m. 49. in-quiens: (1) quia acetum mordicat intestina, & eo magis, si sint ulcerata (2) ova indurata difficilia sunt concoctu etiam athleticis, multo magis ipsis agris: Igitur propter hoc fit necessario, ut hæc ova in agris corrumpantur insigniter, ubi corrupta sunt, quæ mala faciant, vosmet videre potestis. Quare et sensus hic sit veterum, a me tamen probari non potest.

§. 26. An in febribus conveniant ova; plurima ap. magni nominis Medicos fuit disceptatio? Febres nulla præparatione tolerant ova, sunt verba C. HOFMANNI Inst. med. v. 21. 4. SAVANOROL. Pract. maj. tr. 2. c. 2. rubr. 5. f. m. 21. a. Hinc Lal. a FONTE consil. med. v. p. m. 45. difficulter concedit in declinatione acutarum febrium, tanquam in curatione extraordinaria in gratiam virium. Eadem quoque noxia in principio pronunciat Gr. HORST. l. a.

Verum febrientibus dari posse contra CARDANVM pluribus probat *Garsias LOPIVS Var. Lect. Med. c. 20.* (allegante *ZACVT. Lus. l. 1. med. PP. hist. q. 28. f. m. 99.*) nec præfracte negat *G. H. VELSCHIVS decad 3. curat. 1. p. m. 118.* Sic *ROLFINC. meth. med. spec. comm. l. XIV. f. 1. c. 6. p. m. 984.* scribit in febb. Ephemeris hecticis & putridis intermittentibus dictis, omnium fere iudicio esse innoxia. Et *l. 4. conf. med. 7. p. m. 463.* censet in febb. convenire tremula, sorbilia, guttis aliquot spir. Vitriol. alterata, *Conf. Casp. BRAVO Resolut. tom. 1. JONSTON. hygien p. m. 459. SWALVE in Ventric. Querel. & Obprobr. p. m. 146.* In his ut & in aliis morbis calidis rationem reddit *VOGLERVS comment. Diat. c. xv. p. m. 67.* Scil. sorbilia magis, dein tremula concedit *MERCVRIAL. Pract. l. v. c. 8. p. m. 698.* non autem dura, quod fecit etiam *GALEN. 1. ad Glauc. 9.* adde *MERCVRIAL. l. a. c. 16. p. m. 775.* De usu vitellorum in febribus *MOCCHA conf. 115. f. 157. MVNDELL. Epist. 29. f. 295. ap. Excell. D. D. Sebast. SCHEFFER. in Moron. p. m. 340.* Quidque hac de re statuendum sit, fusius persequuntur, qui videantur *I. B. SYLVATIC. Controv. xi. f. m. 56 seqq. ARGENTERIVS in Art. Med. Gal. c. 26. f. m. 454.* itque *Job. NARDIVS Noct. Genial. v. p. m. 357. seqq.* Scil. maxima adhibenda est cautela; tum ratione ægri, tum ratione morbi; tum ipsorum ovorum ratione in tempore, quantitate, præparatione & modo.

§. 27. Hæc & alia plura mala progenerare possunt ova dura; ut ideo non mirum sit, eo ista olim ab Ebræis damnata, ut essent cibus ludentium, ceu probat. *D. Mart. GEIER. de luctu Ebr. c. vi. §. 22.* Revera ova ista dura Paschalia multis luctum pepererunt. Paucis eorum noxam colophonis loco probaboverbis *Val. Henr. VOGLERI. Diat. Comment. c. cap. xv. p. m. 67. agentis: Quod si in duritiem usque protracta fuerit coctio non possunt amplius illam laudem obtinere, sed potius difficilis iam sunt concoctionis, nec ita magnam vim habent alendi, nisi leniter elixa. Quin, si vera est fama, observatum fuit tale induratum albumen per longum tempus in ventriculo sine ulla digestionem habuisse. Quilibet Sane, præcipue, qui debiliore fuerit ventriculo in semetipso quandoque experitur, ejusmodi ad duritiem cocta ova ructibus etiam qualitates istas suas corpori nostro minus convenientes prodere.*

§. 28. Ad stipulatur veritati *C. HOFMAN. Inst. v. 21. 3.* ubi rejecerat ova dura addidit. *Quin debebat unum quemque absterrere factor, quem*

quem edunt cum acetariis in mensa apposita. Interim tamen hoc tempore nihil videas frequentius, ac ova indurata, instar coronæ lactucæ napposita; ein Salat mitt Eiern; immo injuriam fieri & lactucæ & comesturis nisi hoc diademate cingatur. Verum cum ipsa lactuca per se sit duræ digestionis, ut taceam acetum æstuanti & præcipue bilioso stomacho admodum nocere, veluti & oleum commune; nescio, si ova super imponantur; annon sit malum malo cumulare?

§. 25. Hæc omnia; quæ in genere de Ovis induratis fuere proposita, paschalibus cum in specie possint tribui; satis videtur in medium protulisse, eadem admodum nocere; & maxime pueris puellisque, alias rudibus in custodienda valetudine. Accedit quoque ut interdum coloribus tingantur, quæ austera, acerba immo quandoque maligna polleant qualitate ut dum imprudentius ista lingant pueri, simul malum sibi contrahant: quemadmodum novi Amici cujusdã infantem pictoris cujusdam colores præparatos imprudentius degustasse & paullo post inde mortuum summo cum parentum mœrore, qui hoc mihi retulerunt.

§. 30. Quibus igitur e comestis ovis Paschalibus noxa aliqua valetudini accesserit ea debita sua, ap. bonos practicos facile invenienda, methodo curetur. Si in ventriculo hæreant, vomitus proderit, si jam ad intestina devenerunt; potissimum clysteres, subpositoria; dein laxantia, item corrigentia. Summa, pro circumstantiis cura est varianda.

§. 31. Interim iste abusus usus, ovorum usum non tollet, adeoque non tam absurdi sumus ut sentiamus cum Americanis, de quibus *H. SALMUTH. ad Panciroll. Tom. 2. tit. 1. p. m. 29.* ita Americis nullus ovorum in cibum usus; quippe cum hæc pro venenatis habeant. Ideoque non obstupescunt tantum, si quis ova coram illis sorbeat: verum etiam acriter eum increpant; quod mimine ferendum sit, ut quis gallinam in ovo comedens pullationem antevertat.

## B R E V I A R I U M.

**I**nter absurdos Germ. ritus ova Paschalia varii coloris. 2. quibus data. 3. commutata in pretiosiora mutantur. 4. Origo a Judæis & ab Ethnicis. 6. a Quadragesima 7. Oster Montag / Oesterlen / Zimpfeltag 8. Ex ovo omnia viventia. 9. Di Hasen-Eier & eorum noxa. 10. in monacho. 11. in puella 12. in puero. 13. divisio ovorum non convenientium. 14. Ova frigida 15. omnium pessima. 16. Ova suffocata cum modo parandi, & usus. 17. Ova assa. 18. ova Paschalia i. e. dura. 19. Laudantur. 20. 21. Improbantur. 22. an calculum generent. 23. negatur. 24. Albumen, quale in coctio-



coctione. 25. *Ovorum durorum noxa ulterior.* 26. *an in febb. ova conveniant?* 27. *usus eorum ap. Ebraeos & noxa probatio.* 28. *Salat mitt Oern.* 29. *Nocent quoque quia tincta coloribus.* 30. *Curatio.* 31. *Conclusio cum refutatione Americanorum.*

A.  
 P. Aegineta, 15. 16. 20.  
 Aetius, 15. 16. 17.  
 Theod. Angelutius, 16. 20.  
 Argenterius, 26.  
 Athenæus, 18.  
 Hor. Augenius, 22.

B.  
 C. Partholinus Nep. 8.  
 Alex. Benedictus, 12.  
 Beverovicus, 15. 16. 17. 25.  
 N. Bogdanus 15. 17.  
 Brasavolus, 10. 12.  
 Casp. Bravo, 26.  
 Bruyerinus, 15. 16. 19. 20.

C.  
 H. Capi vaccius, 15. 16.  
 H. Cardanus, 26.  
 Corn. Celsus, 19. 21.

D.  
 I. C. Dannhauer, 5.  
 C. L. Dietherr, 2. 3. 4.  
 Dioscorides, 19.  
 Marc. Donatus, 12.

E.  
 Etymlogicum M., 14.

F.  
 I. L. Fabritius, 6.  
 Læl. a Fonte, 26.  
 G. Francus, 8.  
 Ahafv. Fritschius, 3.

G.  
 Galenus, 15. 16. 17. 18.  
 20. 21. 22. 24.  
 C. Garmannus, 8.  
 Ant. Gazius, 15. 17. 24. 25.  
 Mart. Geier, 27.  
 R. de Graf, 8.  
 Ioh. Guintherius, 17. 20.

H.  
 Gu. Harvejus, 8.

Hermolaus Bart, 16. 19.  
 Hippocrates, 21.  
 C. Hofmannus, 14. 16.  
 25. 26. 28.  
 Ioh. Hornius, 8.  
 Gr. Horstius, 22. 25. 26.  
 Rod. Hospinianus, 7.

I.  
 Abuali Ibn- Tfina, 17. 19.  
 20. 25.  
 Ionstonus, 10. 15. 16. 17.  
 18. 19. 24. 25. 26.  
 Ioubertus, 16.  
 Isaac, 15. 17. 24.

K.  
 Th. Kerckringius, 8.

L.  
 And. Lacuna, 15. 20.  
 Garcias Lopus, 26.

M.  
 Macrobius, 8.  
 Ant. Margaritha, 4.  
 Nic. Massa, 15. 20.  
 Hier. Mercurialis, 21.  
 Moccha, 26. (25. 26.  
 G. Mœbius, 10. 14. 15. 21.  
 Mundella, 26. (24. 25.

N.  
 Ioh. Nardius, 26.  
 Lud. Nonnius, 15. 16. 17.

O.  
 Ad. Olearius, 2.  
 M. D. Omeisius, 8.  
 Ordin. Polit. El. Saxon, 3.  
 Oribasius, 15. 16. 20.

P.  
 Varinus Phavorinus, 14.  
 Pisanellus, 5. 22. 24. 25.  
 V. F. Plempius, 15. 16.  
 Iul. Pollux, 14.

Erycius Puteanus, 1. 8.

Q.  
 Ios. Quercetanus, 18. 20.

R.  
 I. B. Rafarius, 20.  
 Rafis, 20.  
 Ioh. Rhodius, 19.  
 Gv. Rolfincius, 26.  
 Ioh. Ruellius, 19.

S.  
 H. Salmuth, 31.  
 I. M. Savanorola, 15. 17.  
 I. Scapula, 14. (20. 26.  
 Seb. Schefferus, 26.  
 Ioh. Schenkus, 12.  
 Mich. Scotus, 20. (20.  
 M. Sebizius, 14. 15. 16. 17.  
 Dan. Sennertus, 15. 16. 17.  
 20. 21. 22. 24. 25.  
 Symeon Sethi, 15. 16.  
 17. 18. 20.  
 H. Stephanus, 14. 18.  
 R. Swalve, 15. 20. 23. 26.  
 Svammerdam, 8.  
 I. B. Sylvaticus, 15. 24. 25.  
 Synodus CPna, 6. (26.

T.  
 Albanus Torinus, 20.  
 Al. Trallianus, 21.  
 Vict. Trincavellius, 20. 22.

V.  
 Th a Veiga, 25.  
 G. H. Velschius, 26.  
 Marcell. Vergilius, 19.  
 V. H. Voglerus, 26. 27.

Z.  
 P. Zacchias, 21.  
 Zacutus Lus, 26.